



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Burchardi VVormaciensis Ecclesiae Episcopi,  
Decretorum Libri XX. ex Consiliis, & orthodoxoru[m]  
patru[m] Decretis, tum etiam diuersaru[m] nationum  
Synodis, ceu loci communes congesti, in quibus ...**

**Burchardus <Wormaciensis>**

**Parisiis, 1549**

Quòd illum quem semel culpa ad poenam pertrahit, misericordia vltorius  
ad veniam non reducat. lxxv.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10722**

D. BURCHARDI EPIS. VVORMAC.

modo ipsa retributionum diuersitas concors: quia tanta vis in illa pace nos sociat, vt quod in se quisq; nō accepit, hoc se accepisse in alio exulter. Vnde & nō æque laborantes in vinea, eque cuncti denarium sortiuntur. Et quidē apud patrem mansiones multæ sunt, & tamen eundem denarium dispares laboratores accipiunt: quia vna cunctis erit beatitudo lætitiæ, quanuis nō vna sit omnibus sublimitas vitæ.

*Quòd illum quem semel culpa ad pœnã pertrahit, misericordia vltèrius ad veniã nō reducat. Cap. LXXV.*

*Grego. in  
suis mo-  
rali. dicit.*

**S**icut consumitur nubes, & pertansit, sic qui descendit ad inferos non ascendit. Nubes quippe ad altiora suspēditur, sed densata vëto impellitur vt currat, calore solis dissipatur vt euanescat. Sic nimirū corda sunt hominū, quæ per acceptæ rationis ingenium ad alta emigrant: impulsa autem maligni spiritus flatu, prauis desideriorum suorum motibus huc illucque pertrahuntur. Sed districta respectu superni iudicis quasi solis calore liquefūt, & semel locis pœnalibus tradita, ad operationis vsum vltra nō redeunt. Vt igitur sanctus elationis cursum defectumque humani generis exprimens dicit. Sicut consumitur nubes, & pertansit, sic qui descendit ad inferos nō ascendit. Ac si apertè loqueretur dicens: In altum currendo deficit, qui superbiendo ad interitum tendit. Quem si semel culpa ad pœnã pertrahit, misericordia vltèrius ad veniam non reducit.

*Quòd Deus dicatur zelans, dicatur iratus, dicatur pœnitens, dicatur misericors, dicatur pœsciens.*

*Caput LXXVI.*

*Grego. in  
suis mora-  
li. dicit.*

**D**eus ergo quomodo zelans est, qui in custodienda castitate nostra nullo mentis cruciatu tangitur? Quomodo irascitur, qui in vlciscendis vitiis nostris nulla perturbatione animi commouetur? Quomodo est pœnitens, qui id quod semel fecerit, se fecisse nequaquam dolet? Quomodo habet misericordiam, qui cor miserum non habet? Quomodo est pœsciens, dum nulla nisi quæ futura sint pœsciantur? Et scimus quia Deo nihil futurum est, ante cuius oculos pœterita nulla sunt, pœsentia non transeunt, futura non veniunt. Quippe quia quod nobis fuit, & erit, in eius prospectu pœsto est: & omne quod pœsens est sciri potest, potius quàm pœsciri. Et tamen dicitur zelans, dicitur iratus, dicitur pœnitens, dicitur misericors, dicitur